

vires. Mediolanenses vero, cum stetissent<sup>a</sup> ibi usque ad 1160.  
medium diem<sup>b</sup>, reversi sunt in domum suam. Et imperator  
postea abiit ad Morimondum et combussit<sup>c</sup> domos eorum  
de foris et blavam<sup>d</sup> eorum succendit, et inde abiit Papiam.

Mense autem Iulio proximo tres porte, scilicet porta <sup>101.</sup>  
Vercellina et porta Cumana et porta Nova, ascenderunt in  
Martesanam et ceperunt Sezanam et Cornate et Herbam  
et Paravisinum et alia loca; et postea castra sua posuerunt  
circa castellum de Carchano existimantes, quod possent  
capere illud. Et cum stetissent ibi per octo dies, miserunt  
Mediolanum nuncios, ut alie tres porte subrogarentur. Et <sup>\*p. 309.</sup>  
cum substitute essent et ibi paucos dies stetissent, impe-  
rator cepit congregare exercitum suum. Quo audito Me-  
diolanenses timuerunt et alias tres portas, que descenderant,  
ascendere fecerunt. Sexto itaque die mensis Augusti im- <sup>Aug. 6.</sup>  
perator castrametatus est ad Spigizollum<sup>1</sup>. Altera die, <sup>Aug. 7.</sup>

*Codagnelli Libellus tristitiæ.*

Milleximo centesimo sexagesimo de mense Iulio<sup>o</sup> Medio- <sup>(19)</sup>  
lanenses cum carocio et cum omni gente sua iverunt ad  
obsidendum castrum de Carcani, quod erat federatum cum  
imperatore Federico et in quantum poterat urbem Medio-  
lani impugnabat. Cum autem in obsidione ipsius castri  
permanerent, imperator Federicus cum mille militibus Theo-  
thonicis intravit in Lombardiam<sup>2</sup>; qui festinanter collegit <sup>\*p. 309.</sup>  
exercitum magnum, cum<sup>f</sup> marchione Montis-ferati et aliis  
marchionibus et comitibus et baronis<sup>g</sup> et<sup>h</sup> viris nobiles  
illarum partium et cum universa gente civitatis Papie et  
cum Novariensibus et Cumanis iter suum versus Mediola-  
num et expeditionem<sup>1</sup> direxit<sup>3</sup>. Hoc audito a Mediolanensibus,  
valde timuerunt. Verumtamen Mediolanenses, non tamquam  
viri timidi et pavidi, sed tamquam viri summe audacie,  
cives omnes qui remanserant ad civitatem, preter illos qui

a) sic A. P.; fuissent B. b) sic A. P.; deest B. c) combussit A.; combuscit B. d) sorum  
de sarachlavi A, quam W. de Giesebrecht, 'Forsch.' XXI, p. 309, n. 1. falso veram lectionem  
esse censuit, nesciens verba eorum succ. a Muratorio omnia etiam in cod. A legi. e) iulii P.  
f) et cum P. g) sic B. P. h, l, et infra. h) deest P. i) uelociter add. P.

1) *Corruptum esse nomen huius loci, qui nusquam reperitur, conicio et legen-  
dum esse Vigizollum, quod est Vighizzolo a Cantu orientem et meridiem  
versus situm.* 2) *Neutiquam tunc intravit Lombardiam, iam antea in ea  
moratus, ut ipse Codagn. ex Gestis Fed. scripserat.* 3) *Hanc narrationem  
proelii Carcanensis in laudem Mediolanensium, in dedecus et opprobrium  
imperatoris Codagnelli mendaciter partim auxit et ampliavit, partim com-  
mentus est; cf. quae W. de Giesebrecht, 'Forsch.' XXI, p. 309, et ego 'N.  
Archiv' XVI, p. 269—275. disseruimus.*